

# DE PHILIPPO FIRMANO EPISCOPO EIUSQUE STATUTIS LEGATIVIS A. 1279

## I

Philippus comes de Casate, qui posterius Firmi episcopus fuit, Hungariae nec non Poloniae legatus ac legum scriptor nobilis, priore parte saec. XIII natus est. Propter documentorum inopiam dies natalis eius viri certius vix definiri potest; eadem de causa multa et gravia vitae eius episcopi momenta haud facile accuratius cognosci possunt<sup>1</sup> In tot studiis doctissimis e.c.a. F. Ughellio<sup>2</sup> et M. Catalanio<sup>3</sup> susceptis Philippi episcopi persona haudquaquam eis adnumerari potest, quae egregie aetatis viros ipsa vix emicat distincta.

Philippi comitis vita in duo, planissima temporis spatia, distingui potest, nempe in spatium ante episcopi gradum adeptum / i. e. ad. a. 1273 / atque in episcopatus spatium / ad a. 1301 /. Spatium ante episcopatum capessendum, parum quidem hodie cognitum, ad splendidissima munera ecclesiastica posteriore tempore suscipienda Philippi animum quodammodo praeparavit. Ex brevibus sane atque exilibus fontium mentionibus haud facile causas intellegimus, quibus factum est, ut Philippus per singulos ecclesiasticorum munerum gradus perpetuo ac constanter promoveretur. Admodum tamen verisimile videtur praeter cognatorum adiumentum, qui in Italia haud mediocri auctoritate gaudebant, eius ipsius ingenium atque indolem multum huc contulisse. In eo temporis spatio nusquam nisi forte in Gallia Cisalpina diutius commoratur. Tres urbes: Mediolanum, Bononia, Mantua plurimum in eius vita valere incipiunt. Mediolani, quae urbs eius familiae co-

---

<sup>1</sup> E.c. certo vix scimus, utrum Philippus episcopus ex clero esset saeculari an regulari /scilicet: ordinis Fratrum Minorum cf. C. Eubel, *Die Bischöfe, Cardinale und Päpste aus dem Minoritenorden von seiner Stiftung bis zum Jahre 1305*, Römische Quartalschrift, IV, /1890/, p. 195/. Aequae accuratius omnia tempora non novimus, quibus officia et munera ecclesiastica, tam usque ad a. 1273, quam posteriore tempore sustinebat, id quod peculiare Italiae bibliothecarum atque archivorum perscrutationes desiderare videtur.

<sup>2</sup> *Italia Sacra*, II, Venetiis 1717, p. 710.

<sup>3</sup> *De Ecclesia Firmana eiusque episcopis et archiepiscopis commentarius*. Firmi 1783, p. 189 sq. Librum cognovi benignitate usus dr Irmae Merolle Tondi et dr Serahno Prete, praecursorum "Biblioteca Nazionale Centrale" Florentinae et "Biblioteca Comunale" firmiana.

niunctissima fuit<sup>4</sup>, prima eruditionis elementa hausisse videtur, hic quoque archidiaconi officio adornabitur<sup>5</sup>.

Bononia, universitate nobilis, certe post iurisprudentiae studia longius in hac schola exercita eum tenuit. Quem vero scientiae ac litterarum gradum adeptus haec studia absolverit, haud facile dices. Posteriore utique tempore Romae iuris magister fuit. Ex quibus studiis Bononiae haustis etiam eius statuta Budensia, a. scilicet 1279, in unum corpus redacta originem ducunt.

Mantuae Philippum praepositi capitularis locum obtinentem offendimus. Quo officio usque ad mensem Martium a. 1273 fungebatur, i.e. usque ad id tempus, quo episcopi munus ipsi mandatum est<sup>6</sup>. Quod summum fuit et gravissimum officium in honoribus usque ad id tempus suscipiendis, quo ad futura ordinarii dioecesis munera obtinenda optime praeparatus est.

In sede Firmana Gerardus<sup>7</sup> episcopus Philippum praecessit, qui annis 1250-1272 potestatem obtinebat, successit autem Philippo Albericus Visconti<sup>8</sup>, Placentiae ante episcopus. Philippus comes tertius eiusdem nominis episcopus Firmanus fuit.

Dioecesis Firmana<sup>9</sup> intra fines civitatis ecclesiasticae sita, iam inde a III saeculo originem suam repetebat. Eadem multis ecclesiis et monasteriis nec non S. Mariae Virginis cathedrali ornata erat, non aliter atque id in Italiae episcopatibus magna ex parte fuit.

Episcopi potestas, quam Philippus exercebat, in decem pontificatus incidit, inde a Gregorio X usque ad Bonifatium VIII. Eo saeculorum spatio rei publicae potentia, quam Sedes Apostolica olim obtinebat, haud mediocriter imminuta est<sup>10</sup>, praeterea nonnulla, quae ad vitam et hominum cogitationes spectabant, non aliter atque omnia aevi instituta, quae adhuc valebant, paulatim ad occasum venerunt.

Gregorio X pontifice Philippus varia iam ecclesiastica officia exsequitur, a. autem 1274 particeps fit secundi Concilii Lugdunensis. Nicolao III pontifice capellanus papae dictus est<sup>11</sup> Firmique vicarius.

<sup>4</sup> Cf. G. B. CROLLANZA, *Dizionario storico-blasonico delle famiglie nobili e notabili italiane estinte e fiorenti*, I, Pisa 1886, p. 249; V. SPRETI, *Enciclopedia storico-nobiliare italiana*, II, Milano 1929, p. 349 sq., A. 1371 Mediolani eiusdem nominis legati nostri prodit Philippus de Casate. Cf. *Repertorio diplomatico Visconteo*, II, Milano 1918, nr 1768.

<sup>5</sup> *Les registres de Nicolas III*, nr 231. Cf. *Storia di Milano*, IV, Milano 1954, p. 661 sq.

<sup>6</sup> *Les registres de Gregoire X*, nr 142.

<sup>7</sup> C. EUBEL, *Hierarchia Catholica medii aevi*, I, Patavii 1960, p. 249; P. GAMS, *Series episcoporum*, Graz 1957, p. 692.

<sup>8</sup> *Les registres de Boniface VIII*, nr 3963.

<sup>9</sup> Cf. G. MORONI, *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica da S. Pietro sino ai nostri giorni*, XXIV, Venezia 1844, p. 5 sq.; *Enciclopedia cattolica*, V, Firenze 1950, p. 1174 sq.; P. KEHR, *Regesta Pontificum Romanorum*, IV, Berolini 1909, p. 134 sq. /ibi reliquos doctorum libros appositos invenies/; *Lexicon für Theologie und Kirche*, IV, Freiburg im Breisgau 1960, p. 84.

<sup>10</sup> Cf. F. SEPPÉL-K. LÖFFELR, *Dzieje papiezy /Paparm historia/*, Poznań 1936, p. 265 sq.

<sup>11</sup> *Les registres de Nicolas III*, nr 99, 231. Cf. P. M. BAUMGARTEN, *Von den päpstlichen Kaplänen um die Mitte des dreizehnten Jahrh.*, Archiv für katholisches Kirchenrecht, XCI, /1911/, p. 477 sq.; B. RUSCH, *Die Behörden und Hofbeamten der päpstlichen Kurie des 13 Jahrh.*, Königsberg - Berlin 1936, p. 77 sq.; R. ELZE, *Die päpstliche Kapelle im 12 und 13 Jahrh.*, Zeitsch-

Nonnullas quoque ecclesias et Italiae monasteria etiam extra dioecesis Firmanae fines ositas visitator canonicus obibat. Singularem tum locum eiusdem missio Gubbiana obtinet, a. 1278 suscepta, in qua capitulum eius regionis reformavit et correxit ac nonnulla decreta proposuit, quae posteriore tempore Sedes Apostolica rata esse iussit<sup>12</sup>.

E Gallia Cisalpina, quae ei solum natale fuit, atque e dioecesi Frmana legatio demum papalis suscepta, qua functus est in Hungaria et in Polonia a 22 Septembris ad 10 Augusti a. 1282, in latiore, ut ita dicam, agendi campum Philippum comitem provexit<sup>13</sup>. Romae quoque tum commoratur, videlicet ut sua missio a Martino IV papa iterum sanciat. E legatione ante mensem Augustum a. 1282 legitime revocatus est. Philippus comes non solum inter omnes legatos, in pontificatu Nicolai III nominatos, eminebat, sed etiam inter eos, qui quandocumque in Hungariam<sup>14</sup> et in Poloniam mittebantur.

rift der Savigny - Stiftung für Rechtsgeschichte, Kan. Abt., XXXVI, /1950/, p. 145 sq. Ante Philippi legationem in Polonorum terra hi viri capellanorum Pontificis Maximi munere fungebantur: Obizo /a. 1245-1246 et 1253-1254/, Jacobus /a. 1248-1249/, Gotfridus /a. 1248/ et Stephanus /a. 1263/. Cf. K. GOLAB, *Der Abt Obizo und seine Legationem*, Archivio Storico per le Province Parmensi, X, /1958/, p. 79 sq.; E. NASALLI ROCCA, *Il monastero del Mezzano di Piacenza e l'abbate Obizzo* [Sec. XIII], Benedictina, /1956/, p. 146; idem, *L'abbazia del Mezzano di Val Trebbia*, Benedictina, /1959/, p. 246, 254; W. SIEVERT, *Das Vorleben des Papstes Urban IV*, Römische Quartalschrift, X, /1896/, p. 485 sq.; A. GOTTLÖB, *Die päpstlichen Kreuzzugssteuern des 13. Jahrh.*, Heiligenstadt 1892, p. 78; T. SILNICKI, *Dzieje i ustrój Kościoła katolickiego na Śląsku do końca w. XIV* [Historia et status Ecclesiae catholicae in Silesia usque ad finem saec. XIV], Warszawa 1953, p. 311, 315. Stephano magistro peculiare studium dedit dr. A. Vetulani, professor Universitatis Jagellonicae Cracoviensis. Quae dissertatio ad hoc tempus in publicum non edita est.

<sup>12</sup> *Les registres de Nicolas III*, nr 397; F. Ughelli, *op. cit.*, I, Venetiis 1717, p. 646.

<sup>13</sup> Cf. *Les registres de Nicolas III*, nr 183, 312-343, 598, 605, 607-611, 640-641, 900, 981-986; *Les registres de Martin IV*, nr 126, 179, 200, 215; A. POTTHAST, *Regesta Pontificum Romanorum*, II, Graz 1957, nr 21412 sq.; A. THEINER, *Vetera monumenta historica Hungarum Sacram illustrantia*, I, Romae 1859, nr 544 sq.; F. KNAUZ, *Mommenta Ecclesiae Strigoniensis*, II, Strigoni 1882, nr 69, 75, 77, 92, 101, 111, 118, 911; G. WENZEL, *Monumenta Hungariae Historica*, I, *Diplomataria*, IX, Pest 1862, nr 58 sq.; C. PÉTERFY, *Sacra concilia*, I, Posenii 1741, p. 91 sq.; S. ENDLICHER, *Rerum Hungaricarum monumenta Arpadiana*, Leipzig 1931, p. 554 sq.; T. SMICKLAS, *Codex diplomaticus regni Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae*, VI, Zagrabiae 1908, nr 63, 82, 219, 224, 250, 254, 300, 303-304, 307-309, 320, 324, 490; I. KUKULJEVIĆ - SAKSINSKI, *Regesta documentorum regni Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae saec. XIII*, Zagrabiae 1896, nr 1261, 1264, 1276, 1295-1296, 1303; I. TKALCIC, *Monumenta historica episcopatus Zagradiensis saec. XII et XIII*, I, Zagrabiae 1873, nr 197, 199, 201-203; G. A. STENZEL, *Urkunden zur Geschichte des Bisthums Breslau im Mittelalter*, Breslau 1845, nr 67 sq.; S. KATONA, *Historia critica regum Hungariae stirpis Arpadianae*, VI, Budae 1782, p. 771 sq.; I. MAILATH, *Geschichte der Magyaren*, I, Wien 1828, p. 234 sq.; I. A. FESSLER, *Geschichte von Ungarn*, I, Leipzig 1867, p. 436 sq.; D. FARLATI, *Illyrici Sacri*, III, Venetiis 1765, p. 289; A. HUBER, *Studien über die Geschichte Ungarns im Zeitalter der Arpaden*, Archiv für österreichische Geschichte, LXV, /1883/, p. 189 sq.; T. GROMNICKI, *Synody prowincjonalne oraz czynnosi niektórych funkcyjariuszów apostolskichw Polsce do r. 1357* [De synodis provincialibus atque muneribus nonnullorum virorum, qui in Polonia officii apostolicis ad a. 1357 fungebantur], Kraków 1885, p. 137 sq.; B. HOMAN, *Geschichte des ungarischen Mittelalters*, II, Berlin 1943, p. 206 sq.; T. SILNICKI, *op. cit.*, p. 180 sq., 313; T. SILNICKI-K. GOLAB, *Arcybiskup Jakub Swinka i jego epoka* [De Jacobo Swinka archiepiscopo eiusque aetate], Warszawa 1956, p. 141 sq., 169 sq.; K. GOLAB, *op. cit.*, p. 110.

<sup>14</sup> Saec. XIII legatorum pontificalium officii fungebantur in regno Hungariae [scilicet: praeter archiepiscopos Strigonienses: Robertum et Stephanum de Vancsa, qui postea cardinalis fuit]; Joannes — capellanus pontificalis, Leo Brancaleo — cardinalis tituli S. Crucis in Jerusalem, Gregorius de Crescentio — cardinalis tituli S. Vitalis [provincialis cardinalis Gregorii de Crescentio tituli S. Theodori — legati Italiae, Poloniae, Bohemiae, Germaniae septentrionalis. Daniae et Sueciae], Guarinus — archiepiscopus Thessalonicensis, Acontius et Aegidius — subdiaconi et capellani pontificales, Jacobus Pecoraria, Placentia oriundus, cardinalis — episcopus Praenestinus, Bartholomaeus — monasterii Carthusianorum Trisultani prior, Salvius Salvi — episcopus Perusinus, Ponsa — Bosniae episcopus, Joannes de Civitella — subdiaconus et capellanus ponti-

Sed maxime in Hungaria Philippus legatus plurimum agitabat, cum e.c. Iadislauum IV regem eiusque subditos solemni iure iurando obstrinxit, ut praecipua Ecclesiae iura respicerentur utque Cumani fidem Christianam acciperent. Cum vero eius missio ad finem venisset, ad Poloniam accessit atque in Silesia Henricum Probum cum Thoma II, episcopo Wratislaviensi, reconciliabat<sup>15</sup>.

Plurimum autem consecutus est Philippus legatus cum in celebri illa synodo Budensi, mense Septembri a. 1279 in publicum processisset: copiosa tum et diversa statuta ecclesiastica in publicum edidit<sup>16</sup>. Haec quidem decreta gloriam eius longe lateque propagaverunt.

A. 1280 Nicolaus III papa Mutinae episcopatum Philippo comiti obtulit<sup>17</sup>, sed simul renuntiationem potestatis, quam Philippus in dioecesi Firmana obtinebat, cum ipsius voluntate coniunxit. Philippus tamen Firmi posthao remansit et de causis, quam accuratius haud novimus, provisionem a papa oblatam, sibi perquam utilem, non accepit.

ficalis, Thomas de Torcello — ordinis Cisterciensium abbas, Bernardus episcopus Neapolitanus et Pontificis Maximi capellanus.

In Hungariam peculiare quoque nuntii apostolici veniunt ad certa negotia transigenda itemque decimarum aliorumque tributorum papalium collectores. A regibus invicem Hungariae vicarii — tam clerici quam laici — in Curiam Romanam mittuntur. Comitis Philippi in Hungaria successor Benvenutus erit, Eugubinus episcopus, cuius tamen missio minus prospere evenit. Initio saec. XIV Hungaria una cum Polonia mandatis legatorum pontificalium et cardinalium: Nicolai Boccasini et vel: Gentilis comprehensa erit. Cf. H. ZIMMERMANN, *Die päpstliche Legation in der ersten Hälfte des 13. Jahrh.*, Paderborn 1913, p. 36, 40-41, 55 sq., 70, 94 sq., 109 sq., 116, 123, 128, 133-135, 139; K. RUESS, *Die rechtliche Stellung der päpstlichen Legaten bis Bonifaz VIII*, Paderborn 1912; C. EUBEL, *Die Bischöfe, Cardinäle und Päpste aus dem Minoritenorden*, p. 229, 247; A. THEINER, *op. cit.*; F. KNAUZ, *op. cit.*; A. POTTHAST, *op. cit.*; P. GYULA, *A magyar nemzet története az árpád-házai királyok alatt* [Populi Hungarorum historia, regibus de stirpe Arpad imperium obtinentibus], II, Budapest 1893; V. FRANKNÓI, *Magyarország egyházi és politikai összeköttetése a romai Szentzsékkkel* [Rationes inter Hungariam et Sanctam Sedem Apostolicam intercedentes, quae ad Ecclesias et civitatis res pertinent], I, Budapest 1901; J. MAUBACH, *Die Cardinäle und ihre Politik um die Mitte des XIII. Jahrh. unter den Päpsten Innozenz IV., Alexander IV., Urban IV., Clemens IV./1243-1268*, Bonn 1902, p. 2; B. HOMAN, *op. cit.*, p. 277 sq., 284 sq.; idem, *Gli Angioini di Napoli in Ungheria 1290-1403*, Roma 1938, p. 103 sq.; W. ABRAHAM, *Studia krytyczne do dziejów średniowiecznych synodów prowincjonalnych Kościoła polskiego* [Studia critica de historia synodorum mediae aetatis provincialium Ecclesiae Polonae], *Studia i materialy do historii ustawodawstwa synodalnego w Polsce* [Studia et commentarii ad historiam legum synodalium in Polonia constituendarum], nr 5, /1917/, p. 29 sq.; idem, *Statuta legata Gentilisa wydane dla Polski na synodzie w Preszburgu 10 XI 1309 r.* [Statuta vel: Gentilis legati pro Polonia, in synodo Possoniensi edita die 10 XI a. 1309], Kraków 1893; *Monumenta Vaticana Hungariae*, [ser. I], II, Budae 1885.

<sup>15</sup> Cf. T. SILNICKI, *Dzieje i ustrój Kościoła katolickiego na Slasku do konca w. XIV*, p. 180 sq.

<sup>16</sup> "Constitutiones editae per venerabilem patrem dominum Philippum, Dei gratia, Firmanum episcopum in Ungaria, Polonia, Dalmatia, Croatia, Rania, Lodomeria, Lodomera, Gallicia et Cumania Apostolicae Sedis legatum, de consilio, et consensu archiepiscoporum, episcoporum, atque abbatum, praepositorum, archidiaconorum, priorum, ministrorum, custodum, guardianorum, plebanorum, canonicorum, et aliarum personarum et clericorum, necnon capellanorum, tam cathedralium, quam aliarum ecclesiarum secularium et regularium: cisterciensis, sancti Benedicti, praemonstratensis, sancti Augustini, praedicatorum et minorum ac aliorum ordinum, congregationum in concilio celebrato in castro Budensi...". R. HUBE, *Antiquissimae constitutiones synodales provinciae Gnesnensis*, Petropoli 1856, p. 72-73; O. RAYNALDUS, *Annales Ecclesiastici*, III, Lucae 1748, p. 623. Philippi igitur mandatum ad Bulgariam minime pertinebat, quae tum pars fuit regni Hungariae [cf. titulum regis Ladislai IV: "Ladislauus Dei gratia Hungariae, Dalmatie, Croatiae, Ramae, Seruiae, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque rex"].

<sup>17</sup> *Les registres de Nicolas III*, nr 828 sq. A. 1281-1290, Mutinae, episcopi Arditius Conti de Mediolano et Philippus Boschetti ordinis Minorum munere funguntur. Cf. C. EUBEL, *Hierarchia Catholica*, p. 353.

Contra multorum tam superioris quam nostrae aetatis historicorum opinionem<sup>18</sup> Philippus nunquam cardinalis nominationem a Curia Romana accepit. De quo Gamsii, Eubelii, Catalanii studiis, dilucidis atque ad persuasionem accommodatis satis superque edocemur.

In Bonifatii VIII pontificatum Philippi mors incurrit, quae post diuturnam gravemque morbum consecuta est<sup>19</sup>, scilicet initio a. 1301.

Philippo comite episcopi officia procurante administratio dioecesis Firmanae melior facta et correctata est / eo scilicet inter alia, quod vicarii generalis munus tum institutum est / itemque Ecclesiae disciplina in sublimius fastigium venit. Curam enim animarum episcopus praecipue respiciebat, reipublicae autem rationes plane recedebant.

## I I

Philippi episcopi nomen et statuta synodalia Budensia, a. 1279 firme inter se coniuncta sunt, quae inter maximas ac summa cum cura elaboratas medii aevi constitutiones legativas numerantur. Omnes in universum, quod ad formam et ad argumentum spectat, Philippi opus fuerunt<sup>20</sup>. Iuris studia nec non usu frequens, imprimis in summis muneribus et dignitatibus ecclesiasticis sustinendis acquisitus, Philippum comitem ad legislatoris partes egendas praeparaverunt.

Statutorum Budensium editio, quae prius parabatur, probabiliter etiam in Italia confecta est<sup>21</sup>, ante Philippi episcopi in Hungariam profectionem. Difficile enim esset, legato, dum intra paucorum vix mensium legationem diversa Ecclesiae ac reipublicae negotia profingat, ma-

<sup>18</sup> Cf. e. c. C. FLEURY, *Histoire ecclésiastique*, XVIII, Bruxelles 1716, p. 238 et C. MACARTNEY, *The Medieval Hungarian Historians*, Cambridge 1953, p. 187.

<sup>19</sup> *Les registres de Boniface VIII*, nr 2555.

<sup>20</sup> Iam ante complures annos J. Fijalek, sacerdos et professor, rectissime animadvertit nomen auctoris non esse exquirendum, si statuta a canonista, artis perito, in publicum ederentur. Cf. *Najstarsze statuty synodalne krakowskie biskupa Nankera z 2 X 1320 r.* /Statuta synodalia Cracoviensia vetustissima episcopi Nankeri, die 2 X a. 1320 promulgata/, *Studia i materialy do historii ustawodawstwa synodalnego w Polsce* /Studia et commentarii ad historiam legum synodalium in Polonia constituendarum/, nr 3, /1915/, p. VI.

<sup>21</sup> A. VETULANI, *Z badan nad znajomoscia powszechnego prawa kanonicznego w Polsce w XIII w.* /Studia de communis iuris canonici in Polonia saec. XIII notitia/, *Studia z dziejów kultury polskiej* /Studia de cultus litterarumque Poloniae historia/, /1949/, p. 51; S. KUTRZEBAS, ZACHOROWSKI, *Historia źródeł dawnego prawa polskiego* /Fontium veteris iuris Poloni historia/, II, Lwów-Warszawa-Kraków 1926, p. 102. Cf. quoque Pontificis Maximi codicillos, die 22 Septembris a. 1278 scriptos, quibus Philippus episcopus clericorum eius provinciae legativae benignitati commendatur. In quibus haec legimus:

"... Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur attente, per apostolica scripta firmiter precipiendo mandantes, quatenus eundem Episcopum, quem pro suarum virtutum insignis interne complectimur brachio caritatis, immo potius personam nostram in ipso, cum illic deo duce pervenerit, benigne recipientes et honorifice pertractantes, sibi tamquam apostolice sedis Legato pro ipsius sedis et nostra reverentia intendatis humiliter et devote, ipsius statuta, monita et precepta et que vobis ex parte nostra mandaverit, efficaciter adimplendo: alioquin sententias sive penas, quas ipse rite statuerit in rebelles, ratas habebimus et faciemus auctore domino inviolabiliter observari..."; A. THEINER, *op. cit.*, nr 545. Elocutiones consimiles in mandatis aliorum quoque legatorum inveniuntur.

teriam uberrimam et ad iurisprudentiam et ad liturgiam pertinentem, 128 articulis comprehensam, accurate et ad artis formam componere, Nostris quin etiam temporibus uberior decreti textus non raro inter aliquot demum annos elaboratur.

In his amplissimis legum latoris operibus conficiendis Philippus episcopus certe consiliariis quibusdam atque adiutoribus utebatur, de quibus hodie vix quicquam dici potest. Personas certas fuisse de legati comitatu suspicamur, in statutorum Budensium commemoratas et in aliis quibusdam documentis, in Hungaria et in Polonia conscriptis. Ante omnes notarii hic produnt: Antonius Firmanus, canonicus posterior Wratislaviensis, Nicolaus, Ottobonius et Philippus Cremonensis, qui legatum iam a. 1278 comitabatur, cum ibi capitulum eiusque ordinem novaret.

Integra statutorum verba in synodo promulgata sunt, in castro Budensi celebrata. Quorum exemplaria publica auctoritate praedita, Philippus comes sigillo exornavit<sup>22</sup> eiusque clerici; Fidancia, Ioannes, Nicolaus, Octavianus et Gerardus. Eadem a. 1280 etiam a Ladislao, Hungarorum rege itemque ab Elisabetha regina confirmata sunt.

Legati iussu constitutiones Budenses quotannis a singulis episcopis in synodis dioecesanis, uno quoque trimestri anno in capitulis generalibus recitandae erant<sup>23</sup>.

Cum clerus noster a Buda abesset, vero haud dissimile est, Philippum episcopum, cum dimidium a. 1282 in Silesia commoraretur, iterum Wratislaviae statuta ad Ecclesiae Polonae usum promulgavisse<sup>24</sup>. Sic antiquum legatorum papalium morem revocasse videtur, qui annis 1248, 1253, 1264 et 1267 constitutiones synodales totae provinciae Gnesnensi destinatas, in cathedrali S. Ioannis promulgare consueverunt. Saeculo enim XIII Wratislavia papalium legum lationis domicilium fuit ac sedes, quae totae Poloniae fulgorem dabat<sup>25</sup>.

<sup>22</sup> Sigilli imaginem in F. KNAUZII, *op. cit.*, p. 64 invenies; idem in p. 95-96 descriptum est. Si *Les registres de Nicolas III*, nr 231 sequimur, plenum tamen inscriptionis textum, in ora sigilli collocatum, legere possumus hunc: "S.PHYLIPPI.DEI.GRA.EPI.ET.CO/M/ITIS DE CASATE".

<sup>23</sup> "Ne autem aliquo dolo, fraude seu malitia, vel affectata ignorantia quidquam contra constitutiones praefatas addi, minui, mutari, vel deleri contingat, volumus et districte praecipiendo mandamus: quod omnia capitula cathedralium ecclesiarum totius nostrae legationis, infra duos menses, ex quo copiam potuerint habere earundem, ipsas conscribi faciant litera grossa, legibili atque distincta; ipsasque ligari faciant in tabulis, ad modum libri, et ferrea catena connexas in sacrario sic affigi, quod commode legi possint, nec inde de facili valeant deportari. Quicumque constitutiones praefatas de dictis sacrariis auferre vel asportare, seu aliquid in eis delere, addere, radere vel mutare praesumpserit et de hoc constare poterit, Dominicam indignationem incurrat et nihilominus tamquam falsarius per dioecesanam loci illius, ubi hoc commiserit, vel per alium superiorem animadversione puniatur. Ad haec praecipiendo mandamus: quod singuli episcopi legationis nostrae praedictae semel saltem in anno in episcopalibus synodis suis, capitula vero cathedralium ecclesiarum in generali capitulo, propter hoc faciendo, quater in anno videlicet tribus mensibus semel, constitutiones praedictas solemniter legi faciant et diligenter exponi...". R. HUBE, *op. cit.*, p. 163-164.

<sup>24</sup> Cf. A. HELCEL, *Starodawne prawa polskiego pomniki* [Vetera iuris Poloniae monumenta], I, Warszawa 1856, p. 338.

<sup>25</sup> Synodus legativa primum Wratislaviam convocata est ab Jacobo, Leodiensi archidiacono,

Statuta Budensia —ut nos quidem suspicamur— iterum a. 1282 promulgata, in codice Gnesnensi, id quod proximum vero est, apparuerunt, qui apographa synodalia constitutionum continebat, tam metropolitanarum quam legatarum, inde a saec. XIII in nostra terra editarum. Codex ille primum fortasse exemplum fuit libris manuscriptis, postea a R. Hubio<sup>26</sup> editis, qui hodie amplissimum praebent textum decretorum Budensium a. 1279.

Legati legum auctores cum in Curia Romana relationes missionum sibi demandatarum deponerent, etiam exemplaria constitutionum synodalia a se in quadam regione promulgatarum relinquebant. Quibus nonnunquam posteriores bullae innitebantur, quae statuta prius edita redintegrabant. Eo modo in Polonia post 16 annos iterum publici iuris factae sunt constitutiones a. 1248 Wratislavienses Iacobi, Leodiensis archidiaconi/tantum ex illa editione nobis notae/, post 37 autem annos statuta Gentilis cardinalis Possoniensis, ex mense Novembri a. 1309. Inde verisimillimum videtur Philippum quoque legatum in Curia Romana statuta sua reliquisse.

---

qui postea Urbanus IV papa fuit. Celebrata est diebus 10-13 Octobris a. 1248. Cui Pelka /Fulco/, archiepiscopus Gnesnensis et episcopi interfuerunt, quorum nomina sequuntur: Thomas I Wratislaviensis, Prandota Cracoviensis, Boguphalus II Posnaniensis, Michael Wladislaviensis, Petrus Plocensis, Henricus Culmensis et Nankerus Lubucensis. Episcopi —Henrico Culmensi excepto— cum capitulis suis advenerunt. Synodo, ut verisimillimum videtur, abbates quoque interfuerunt: Henricus Leobusiensis, Ludovicus de Kamienie et Vincentius Wratislaviensis. Multo maxime fieri potuit, ut synodi etiam Jacobus de Skaryszew, iuris canonici Poloni professor nobilis, particeps fuerit itemque clerici legati: Arnulphus capellanus Joannes notarius et Gotfridus, poenitentiarum Pontificis et collector.

Tres personae extremo laudatae ad hunc usque diem accuratius vix cognitae sunt. Primaria duo nomina aliquoties inter canonicos dioecesis Leodiensis occurrunt, in qua Jacobus legatus archidiaconi officio functus est. Arnulphus et Joannes canonici fuerunt Tixlemonti et Leodii. In capitulo Leodiensi archidiaconus et decanus Joannis nomen gerunt. Joannes etiam canonicus est Leodii, Ecclesiae S. Dionysii /quem Sanctum statuta Wratislaviensia commemorant/. Nonnulli Joannes inter notarios quoque Innocentii IV papae apparent. Gotfridus, frater ex ordine Praedicatorum, fortasse idem est atque Gotfridus, papae capellanus, posterior episcopus Torcellanus.

Joannis Dlugosii "Historia" edocemur consiliorum synodalia, a. 1248 habitorum, orationem legati initium fecisse, qua miserum Ecclesiae statum ostendisset ac praesentes monuisset, ut peculiare tributum conferrent ad bellum Innocentii IV cum Friderico II imperatore destinatum. Collector tributii Gotfridus poenitentiarum fuit.

In statutis Wratislaviensibus, ab Jacobo in publicum editis, praescripta inveniuntur e communi iure desumpta /ut Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX, Constitutio Innocentii IV, q. i. "Romana Ecclesia"/, quae mores et institutiones Ecclesiae Francogallicae et Belgicae tamquam exempla sequuntur itemque praescripta liturgica et constitutiones, quae capitulorum statum ordinant atque officialis et poenitentiarum munus in Poloniam —tum primum— inferunt. Praescripta materiam ex epistulis Pontificis hauriunt /cf. edictum, quo beneficiorum curatorum accumulatio vetita est/ atque ex operibus S. Augustini, praeterea Poloniae res tangunt /Silesiae imprimis et Prussiae/. In Constitutione quadam /caput 18 est secundum R. Hubium/ argumentum et sententia posterioris bullae Urbani IV papae investigari possunt "Transiturus de hoc mundo" a. 1264 promulgatae, qua festum Corporis Christi constitutum est. Cf. *Les registres d'Innocent IV*, nr 813, 968, 1097, 1297, 1637, 3226, 3603, 4965, 5725-5726, 6232, 7023, 7423, 7529; W. SIEVERT, *op. cit.*; W. ABRAHAM, *Studia krytyczne do dziejów średniowiecznych synodów prowincjonalnych Koscioła polskiego*, p. 18 sq.; M. WYSZYŃSKI, *De antiquissimo in Polonia statuto synodali de Sancto Viatico a fidelibus processionaliter subsecuendo /1248/*, *Collectanea Theologica*, XV, /1934/, p. 231 sq.; A. VETULANI, *Die Einführung der Offiziale in Polen*, *Collectanea Theologica*, XV, /1934/, p. 277 sq.

<sup>26</sup> Cf. T. SILNICKI, *Kardynał legat Guido jego synod wrocławski w r. 1267 i statuty tego synodu /De Guidone cardinali-legato eiusque synodo Wratislaviensi a. 1267 habita et de eiusdem synodi statutis/, Księga pamiątkowa ku czci W. Abrahama /Liber memorialis in honorem W. Abrahami/, II, /1931/, p. 22.*

Si profecto considerabimus in tam vasta legati episcopi Philippi provincia complures dioeceses atque in eisdem separata capitula foraque ecclesiastica exstitisse, probandum erit nobis in vitae cotidianae usu sane multa apographa decretorum Budensium usurpata esse. Ad nostra tamen tempora, id quod magnopere delemus, ne unum quidem genuinum exemplar servatum est aut saltem exemplum, quod fidem faceret.

Complures pro rata parte statutorum Budensium a. 1279 editiones quattuor libris manuscriptis innitebantur, qui ex diversis et quidem disiunctissimis bibliothecis originem ducunt. Duo priorea chirographa sunt: Vaticanum et Vallicellianum, posteriores duo chirographa sunt ex veteribus bibliothecis familiarum: Zaluski et Baworowski.

Ad manuscripta Vaticanum et Vallicellianum editores quidam, Raynaldio duce, se applicaverunt, manuscripta vero bibliothecae familiae Zaluski et Baworowski solum R. Hubius<sup>27</sup> in usum suum convertit.

Medium quiddam A. Helcelii<sup>28</sup> editio tenebat. Qui praecipue statutorum editioni confisus est a. 1748 ab O. Raynaldio paratae<sup>29</sup> atque apographa editionis R. Hubii<sup>30</sup>, quae deerant, supplevit, Contextus ab Helcelio paratus, nulla paene mutatione facta in Codicem Diplomaticum Maioris Poloniae abbit<sup>31</sup>.

Sed completum fere corpus statutorum, de quibus agimus, editio demum R. Hubii praebuit, cum editiones priores parte tantummodo pristini textus utebantur. At Hubii opus, nollem factum, neque C. J. Hefelius<sup>32</sup> neque H. Finkius<sup>33</sup> nec denique J. Leclercqius<sup>34</sup> cognitum habuerunt, cum conciliorum historias conscriberent, viris doctissimis longe lateque notas. Idem deinceps viri pravam Raynaldii opinionem sustentabant in synodo Budensi mense Septembri a. 1279 partem solum constitutionum promulgatas esse, quae omnino tenori eiusque finibus codicum: Vaticani et Vallicellani responderent. Id quod vix probari potest, si ultimum perlegeris eorum statutorum caput, quod editione Hubii<sup>35</sup> continetur.

<sup>27</sup> Cf. J. JANOCKI, *Janociana*, II, Varsoviae et Lipsiae 1779, p. 217 /editiones tradit statutorum a Raynaldio paratas, XIV, p. 603 sq., a Labbeo et Cossartio, VII, p. 790 sq., nec non a Péterfio; R. HUBE, *op. cit.*, p. 72; A. HELCEL, *op. cit.*, p. 338; T. GROMNICKI, *op. cit.*, p. 184; A. F. GOMBOS, *Catalogus fontium historiae Hungaricae aeo ducum et regum ex stirpe Arpad*, I, Budapestini 1937, nr 1712 et 1714. Ex insignioribus statutorum Budensium editionibus—praeter editiones Raynaldii et Hubii—nominanda est ante omnes: P. C. PÉTERFY, *op. cit.* /Posonii 1741 et Viennae 1742/, J. MANSI, *Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio*, XXIV, Venetiis 1780, p. 270 sq. et S. ENDLICHER, *op. cit.*, p. 565 sq., /editiones: Sangalli 1849 et Leipzig 1931/.

<sup>28</sup> *Op. cit.*, p. 364 sq. et 417 sq.

<sup>29</sup> *Annales Ecclesiastici*, III, p. 623 sq.

<sup>30</sup> *Op. cit.*, p. 72 sq.

<sup>31</sup> I, Poznan 1877, nr 487.

<sup>32</sup> *Konziliengeschichte*, VI, Freiburg im Breisgau 1890, p. 189 sq.

<sup>33</sup> *Konzilienstudien zur Geschichte des 13 Jahrh.*, Münster 1891.

<sup>34</sup> *Histoire des conciles*, VI, /1/, Paris 1914, p. 247 sq.

<sup>35</sup> "...Editae et publicatae et approbate fuerunt supradictae constitutiones per nos legatum



Si Raynaldii textum et Hubii comparabis, nonnullas discrepantias animadvertes, quae magna ex parte in singulis verbis, sententiis, quin etiam capitibus omittendis consistunt /altera nonnunquam sententia alterius locum occupat/ nec non in totius materiae in singulos articulos distributione<sup>36</sup>. R. Hubii editio etsi passim minus integra est, quam editio O. Raynaldii, cum plenum fere textum decretorum Budensium praebet, maioris habenda est auctoritatis et principem locum occupare debet. Eadem profecto integra ac certa ratione fundamentum futurarum statutorum a. 1279 editionum praestare debet, in quo differentiae diligentissime respiciendae erunt inter libros intercedentes Vaticanum nec non Vallicellanum atque eos, qui in bibliothecis familiae Zaluski et Baworowski extant. Horum quattuor librorum comparatio a Hubio confecta, non omnes tamen discrepantias prodit, quae re vera inter eos comparent.

Textus decretorum Budensium eodem tempore a Helcelio editus, arte factus est, neque enim omnia verba ac litteras statutorum tradit, secundum libros Vaticanum et Vallicellanum neque secundum libros bibliotecarum Zaluski et Baworowski: nam articulos omittit ab Hubio traditos, qui re ipsa, quam complectuntur, textui Raynaldiano respondent. Idem de textu dicendum est statutorum a. 1279, qui Codice Diplomatico Maioris Poloniae continetur.

Quod ad verba statutorum spectat, in tres partes eadem distribui possunt: in prooemium, rem propriam atque in exordium. Prooemium et exordium publicorum documentorum characteres praeferunt, cum iuridicam et theologiam probationem intermittunt, quae in permultis synodalibus decretis ex more apparere solet.

Argumentum integrum ad multos articulos dilabitur, quibus magna ex parte tituli praecurrunt; hi propositionem cuiusque praescripti summatim tradunt. Quod vero ad articulorum numerum et titulorum tenorem spectat, editiones Raynaldiana et Hubiana satis significanter inter se discrepant.

---

*praefatum, supradicto approbante concilio, anno, indictione, Pontificatus et loco superius adnotatis, praesentibus...*, R. HUBE, *op. cit.*, p. 164.

Raynaldii coniectura verbis Ladislai regis, die 18 Augusti a. 1280 prolatis minime potest confirmari hisce:

*"...quod cum tempore sacri Concilii per Venerabilem patrem dñm Philippum dei gratia Firmanum episcopum, Apostolice Sedis Legatum, in Castro Budensi devote et sollempniter celebrati, nos furore iuventutis contra nostram salutem accensi, et quorundam pravorum consiliis depravati atque seducti, in nostram hoc inferri iniuriam estimantes, quod erat ad propagationem virtutum, exclusionem eciam viciorum; Iudici et civibus dicti Castri Budensis sub gravibus penis dedimus in mandatis, ut prelatos Regni nostri, ad mandatum dñi Legati prefati ibi occasione dicti Concilii congregatos, de Castro ipso excluderent, nec aliquos in dictum Castrum permitterent introire, quodque eis et familie eorundem victualia et venalia prohiberent..."*, A. THEINER, *op. cit.*, nr 564 in synodis enim legatorum, quod inter omnes constat, singula praescripta non ita componebatur, quam paratum iam propositum accipiebatur, a legato allatum atque accuratius ab ipso explanatum.

<sup>36</sup> Sic igitur integrum statutorum a. 1279 corpus in manibus non habemus et novam fontium inventionem usque expectamus, quae hanc quaestionem parum perspicuam ad ultimum solvet.

Eodem modo articuli statutorum Budensium haud aequaliter compositi sunt. Pariter enim tam ambitu quam rei conceptione inter se differunt. In maiore praescriptorum parte status rei ipsius, sicut est, constitutionis dispositio ac sanctio distingui possunt.

Status, sicuti est, saepissime generaliter est informatus, nonnunquam ex aliis iudicialibus fontibus desumptus, ex quibus statuta pendent; aliquotiens etiam ad ea provocatur, quae legatus in Hungaria vidit audivitque.

Quo autem legis dispositio accuratius definiatur, statuta Budensia artis vocabula adhibent varia, quae tria praecipue respiciunt: facere /praestare/, non facere et pati. Cum dispositione saepe sanctio coniuncta est. Statuta complures poenas commemorant atque diversi sane generis. Non semel modum, quo eadem exsequantur, accuratius tradunt/e.c. "brachium saeculare" in auxilium vocandum est/.

Sermo statutorum elegantissimus est, quod ad perscriptionem spectat, quorum vero argumentum apertum est omnibus ad intelligendum. Sermo est tamen forensis, qui in scientiae potius vocabulis versatur, ex communis iuris canonici copia desumptis.

Constitutiones Budenses partitionem Bernardi Papiensis, quamvis parum accurate<sup>87</sup> sequuntur, quae a Decretalibus Gregorii IX et acceptata et divulgata est. In aliquot quaestionibus divisio supplementis aucta est et multiplicata, secundum vitae usum atque Ecclesiae consuetudinem.

Sicuti quodlibet maius constitutionum corpus etiam statuta Budensia ex multis admodum ac diversis fontibus pendent. Quosdam ipsa commemorant, alii vero argumenti fontes non nisi explicatione aperiantur.

Fundamentum autem et fontem praescriptorum a. 1279 imprimis Decretales Gregorii IX faciunt, minore auctoritate posteriores sunt constitutiones papales /usque ad novissima Nicolai III a. 1278 decreta/ itemque secundi Concilii Lugdunensis edicta a. 1274, Decretum Gratiani, S. Scripturae textus nec non Patrum Ecclesiae opera, praecipue S. Augustini<sup>88</sup>. Quarum constitutionum receptio magna ex parte ad argumentum pertinet, non ita ad genus scribendi.

Si statuta a. 1279 pervolutabimus, passim eorum praescripta ad hosce libros ac titulos Decretalium a. 1234 referri possunt:

<sup>87</sup> Cf. Sacerdos P. KALWA, *Rys historyczny prowincjonalnego ustawodawstwa synodalnego w Polsce przedrozbiorowej* /Breviter exponitur historia iuris synodalis provinciae Poloniae ante regni divisionem/, *Księga pamiątkowa ku czci ks.bpa M. Fulmana /Liber memorialis in honorem M. Fulmani episcopi Lublinensis/*, I, /1939/, p. 131; G. LE BRAS, *Bernard de Pavie*, *Dictionnaire de droit canonique*, II, /1937/, p. 782 sq.

<sup>88</sup> Cf. T. GROMNICKI, *op. cit.*, p. 143 sq.

*Liber I*

- tit. 2 — De constitutionibus
- tit. 6 — De electione et electi potestate
- tit. 16 — De sacramentis non iterandis
- tit. 17 — De filiis presbyterorum ordinandis vel non
- tit. 22 — De clericis peregrinis
- tit. 23 — De officio archidiaconi
- tit. 38 — De procuratoribus

*Liber II*

- tit. 1 — De iudiciis
- tit. 2 — De foro competenti
- tit. 20 — De testibus et attestationibus
- tit. 25 — De exceptionibus
- tit. 28 — De appellationibus, recusationibus et relationibus

*Liber III*

- tit. 1 — De vita et honestate clericorum
- tit. 2 — De cohabitatione clericorum et mulierum
- tit. 4 — De clericis non residentibus in ecclesia vel praebenda
- tit. 5 — De praebendis et dignitatibus
- tit. 13 — De rebus ecclesiae alienandis vel non
- tit. 23 — De solutionibus
- tit. 24 — De donationibus
- tit. 25 — De peculio clericorum
- tit. 26 — De testamentis et ultimis voluntatibus
- tit. 27 — De successione ab intestato
- tit. 28 — De sepulturis
- tit. 29 — De parochis et alienis parochianis
- tit. 30 — De decimis, primitiis et oblationibus
- tit. 34 — De voto et voti redemptione
- tit. 35 — De statu monachorum et canonicorum regularium
- tit. 37 — De capellis monachorum et aliorum religiosorum
- tit. 38 — De iure patronatus
- tit. 39 — De censibus, exactionibus et procuracionibus
- tit. 40 — De consecratione ecclesiae vel altaris
- tit. 41 — De celebratione missarum et sacramento Eucharistiae et divinis officiis
- tit. 42 — De baptismo et eius effectu
- tit. 44 — De custodia Eucharistiae, chrismatis et aliorum sacramentorum
- tit. 45 — De reliquiis et veneratione Sanctorum
- tit. 49 — De immunitate ecclesiarum, coemiterii et rerum ad eas pertinentium
- tit. 50 — Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant

*Liber IV*

- tit. 3 — De clandestina desponsatione

*Liber V*

- tit. 3 — De simonia et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur  
 tit. 6 — De iudaeis, sarracenis et eorum servis  
 tit. 17 — De raptoribus, incendiariis et violatoribus ecclesiarum  
 tit. 20 — De crimine falsi  
 tit. 24 — De clerico venatore  
 tit. 27 — De clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante  
 tit. 29 — De clerico per saltum promoti  
 tit. 30 — De eo, qui furtive ordinem susceperit  
 tit. 33 — De privilegiis et excessibus privilegiatorum  
 tit. 38 — De poenitentis et remissionibus  
 tit. 39 — De sententia excommunicationis  
 tit. 41 — De regulis iuris

Philippi episcopi constitutiones aliquatenus etiam cum Libro Sexto Decretalium Bonifatii VIII comparari possunt: nituntur enim constitutionibus paparum Innocentii IV, Gregorii X et Nicolai III, quae huic demum corpori publica auctoritate insertae sunt.

In statutis Budensibus normationes quoque invenimus, quibus multo postea commune ius canonicum resonabit. Sic e.c. "exceptio rei iudicatae" in Philippi constitutionibus non semel celebrata, norma facta est communis ac legitima ab eo demum temporis momento, quo Bonifatii VIII a. 1298 constitutio ad rem pertinens promulgata est, scilicet Liber Sextus Decretalium, libro secundo insertus. Certe non tum primum accidit, ut legatorum decreta papalium antecesserint legum latio-nem. E.c. in Polonia iam a. 1248 sponsalium formula alligans, communi eius aetatis iuri ignota, ab Iacobo Leodiensi archidiacono illata est.

Statuta Budensia, cum ad cotidianum legatorum usum provocabant consuetudinemque saeculo convenientem sequebantur, ad interioris vitae ecclesiasticae quaestiones, ad vitam ac honestatem tam clericorum, quam laicorum animos omnium converterunt<sup>39</sup>. Quorum decretorum partem miorem praescripta ad liturgiam pertinentia conficiunt. Nonnullis articulis etiam commercia ad consuetudines inter Ecclesiam, rem publicam et societatem hominum intercedentes in ordinem rediguntur

<sup>39</sup> Cf. Sacerdos J. FIJALEK, *Sredniowieczne ustawodawstwo synodalne biskupów polskich, I. Życie i obyczaje kleru w Polsce sredniowiecznej na tle ustawodawstwa synodalnego* /*Medii aevi lebum latio synodalis episcoporum Poloniae, I. Vita ac mores cleri Poloniae medii aevi cum synodali legislatione connexi exponuntur*/. Rozprawy Ak.Um.Wydział Hist.-Filoz. /*Dissertationes Hist.-Philosophicae Classis Academiae Litterarum Cracoviensis*/. XXX. /1893/. p. 181 sq.; idem, *Odprawianie godzin kanonicznych przez kler parafialny w Polsce sredniowiecznej* /*De horis canonicis a clero parochiali Poloniae aetatis mediae exsequendis*/. Przegląd Kościelny /*Commentarii Ecclesiastici*/. XVI. /1894/. p. 3 sq.

/in his commercia quoque Christianorum et in religione dissidentium, e.c. Iudaeorum/<sup>40</sup>.

Statuta Budensia a. 1279 ad ecclesiasticam in Hungaria adhuc raram legislationem<sup>41</sup> aliquid valuisse minime suspicamus, quin etiam paene certum nobis videtur Polonorum leges nihil huc contulisse. Philippici constitutiones imprimis Hungaricae Ecclesiae destinatae erant; sed etiam in Polonia mox receptae sunt, id quod ex multis sane posterioribus decretis nostris synodalibus patet<sup>42</sup>. Quae praescripta si in Polonorum iura canonica, unius solum civitatis, assumpta sunt, id ante omnia auctoritati Iacobi Swinka<sup>43</sup>, archiepiscopi, Nankeri episcopi, Nicolai Traba, archiepiscoporum principi /primati/ debemus.

<sup>40</sup> Cf. A. EISENSTEIN, *Die Stellung der Juden in Polen in XIII und XIV Jahrh.*, Cieszyn 1934, p. 56.

<sup>41</sup> De qua legum latone cf.: L. BALICS, *A római katolicus egyház történeté Magyarországon /Historia Ecclesiae Romano-catholicae in Hungaria/*, I, II, Budapest 1885; L. ZAVODSZKY, *A Szent István, Szent László és Kálmán korabeli törvények és zsinati határozatok forrasai /De legibus et decretis synodalibus aetate S. Stephani, S. Ladislai et Colomani promulgatis/*, Budapest 1904; S. SIPOS, *Coelibatus in antiquissimis legibus et statutis synodalibus Hungariae usque ad collectionem Gregorianam*, Acta Congressus Iuridici Internationalis, III, /1936/, p. 441 sq.; A. F. GOMBOS, *op. cit.*, I-III; P. C. PÉTERFY, *op. cit.*; S. ENDLICHER, *op. cit.*, p. 299 sq.; B. HOMAN, *Geschichte des ungarischen Mittelalters*, I-II; A. TIMON, *Ungarische Verfassungsgeschichte und Rechtsgeschichte*, Berlin 1909, p. 279 sq.; H. MARCZALI, *Ungarische Verfassungsgeschichte*, Tübingen 1910, p. 13 sq.

<sup>42</sup> Cf. T. SILNICKI-K. GOLAB, *op. cit.*, p. 142 sq.; W. ABRAHAM, *op. cit.*, p. 37; idem, *Z dziejów ustawodawstwa synodalnego diecezji płockiej /De legum latone synodali dioecesis Plocensis quaestiones selectae/*, Księga pamiatkowa ku czci O. Balzera /Liber memorialis in honorem O. Balzeri/, I, /1925/, p. 1; idem, *Statuta synodu prowincjonalnego w Kaliszu z 1420 r. /Statuta synodi provincialis Calisiensis a. 1420 habitae/*, Rozprawy Ak.Um.Wydział Hist.-Filoz. /Dissertationes Hist.-Philosophicae Classis Academiae Litterarum Cracoviensis/, XXII, /1888/, p. 96 sq.; T. SILNICKI, *Biskup Nanker /De Nankero episcopo/*, Warszawa 1953, p. 53 sq. Statuta Budensia nihil tamen valuerunt ad decreta synodi dioecaeanae Wratislaviensis a. 1279 habitae; synodus enim convocata est mense Junio, statuta vero Budensia mense demum Septembri pronuntiata sunt. Cf. E. BRZOSKA, *Die Breslauer Diözesansynoden bis zur Reformation, ihre Geschichte und ihr Recht*, Breslau 1939, p. 23.

<sup>43</sup> In hisce Jacobi Swinka, archiepiscopi, constitutionibus auctoritas ac vestigia statutorum Budensium investigari possunt: /locos appono Hubium secutus/.

c. 1	constitutionum a. 1285	tamquam exemplum	c. 83	a. 1279	sequitur Lanciciensium
c. 2	"	"	c. 15	"	"
c. 3	"	"	c. 113, 114	"	"
c. 4	"	"	c. 76	"	"
c. 8	"	"	c. 24	"	"
c. 9	"	"	c. 123	"	"
c. 14	"	"	c. 14	"	"
c. 15	"	"	c. 38	"	"
c. 20	"	"	c. 34	"	"
c. 24	"	"	c. 33	"	"
c. 27, 28	"	"	c. 19	"	"
c. 33	"	"	c. 30	"	"
c. 2	constitutum a. 1290		c. 51	"	
	Gnesnensium				
c. 7.	"	"	c. 27	"	"

Conspiratio ad argumentum tantummodo non ad dicendi rationem spectat. Ad statuta Jacobi Swinka conscribenda nonnullam vim habuerunt aliorum quoque legatorum iuris descriptiones, ut e. c. Jacobi, archidiaconi Leodiensis, a. 1248 /c.c. 3, 8, 10, 12, 19, 20, 29, 30 a. 1285 et c. 8 a. 1290/ nec non Guidonis cardinalis a. 1267 /c. 14 a. 1285 et c. 1 a. 1287/. Constitutiones Budenses cum omnia fere comprehendissent, principalis tamen ac praecipuus fons permanserunt, idque eo magis, quia passim fere cum iure communi cohaerentiam quandam praeferre videntur.

In praescriptis synodalibus a. 1279 recipiendis haec saepissime respiciebantur:

## DE SIGILLO PHILIPPI

Sigilli imaginem /photocopiam/ in F. Knauz, *Monumenta Ecclesiae Stirgoniensis*, II, Strigonii 1882, p. 64 invenies; idem in p. 95-96 descriptum est:  
p. 95

"Duo exemplaria adsunt, in utroque sigilla e rubro et viridi serico pendebant, e medio quidem sigillum Legati, quod in primo exemplari sat integre conservatum; Praelatum, baculo et mitra ornatum ac dextra benedicientem exhibet, cum perigraphe:

S. PHYLIPPI.DEI.GRA.EPI.ET.CO/M/ITIS.—In alio exemplari  
p. 96

aliud sigillum rotundum cum figura quadam mutilata et perigraphe detrita superest.—In Arch.Cap.Strig.priv.Lad.25.fasc.1.Nro 1.et 2.—In primo exemplari a tergo legitur:

"Super palacio *Zenie d/omi/ne*"; in altero: "Priuilegium super *palacio magno de Ciuitate*".—Extr.Fejér Cod.dipl.V.II.604.—Ed.Cod.Strig.II.127.et Wenzel Cod. Arp.IX.246.—Quantas inanes et superfluas, ac a nostro stylo curiali alienas repetitiones literae hae continent."

Si *Les registres de Nicolas III*, nr 231 sequimur, plenum tamen inscriptionis textum, in ora sigilli collocatum, legere possumus hunc: S.PHYLIPPI.DEI GRA. EPI.ET.CO/M/ITIS DE CASATE.

CASIMIRUS GOLAB

Canonicus cracoviensis

---

a) ampla Philippi legati statuta retractabantur et in breviores articulos contrahebantur, in quo in constitutionibus receptis rei status omittebatur itemque omnis generis probationes seu causae iudiciales, quae ibi allatae sunt,

b) ipsa iuris disceptatio simplicius proponebatur et in eos casus potissimum reprimebatur, qui in provincia Polona saepius proveniebant,

c) in praescriptis recipiendis leges poenam sancientes omittebantur mitigabanturve haud mediocriter, ea de causa, quia Ecclesiae ordo, qui statutis a. 1279 continebatur, amplissimus et maximus visus est,

d) forensis sermonis locum vel eius, qui paulo politior ab hominibus litteratis celebrabatur, nunc lingua paene vulgaris occupavit, omni fere homini e vulgo cognita.